

§. II. Provenit ex annexorum ponderum Q. M. inæquali quantitate. Nam duo corpora, æqualis gravitatis, sed inæquali ratione superficiei externæ, alio in medio si ponderentur, haud amplius æquilibria sunt, si verò medium sit ponderosius, corpus amplius plus ponderis remittet, quàm minus & compactius, at si medium novum sit levius, tum corpus amplius præponderabit minori. Ut habent *Acta Philos. Anglicana Mens. Julio An. 1666. pag. m. 175. seqq.* Bulla igitur vitrea M, quæ centies, imò ducenties amplior sit contrapondio metallico Q. necesse est, dum aër gravior evadit, attolli debet, & levior fieri, quo ipso examen in alterum latus se deflectens, angulum facit, ejus longitudo ex appositis in arcu gradibus illico cognoscitur, & contra, si levior aër extiterit, bulla vitrea, præponderabit, atque examen in idem circuli latus propendebit.

§. III. Quo altius *Baroscopium* hoc in aerem sublatum fuerit, eo magis bulla vitrea gravior facta præponderabit, rursus, quo magis terræ cryptis ac foveis immittitur, eo magis pondus suum amittit, & sic contrapondium, vincit, atque examen eo inclinatur.

§. IV. Ratio est, quod in alio levioere medio existat *Baroscopium*, quando in altum est elevatum, quippe aër, quo remotior à terra, eo rarior & levior existit *vid. §. 10. Cap. 2.* hinc bulla ampla se dimittere cogitur, quo verò terræ vicinior, imò, quo magis in terræ cryptis & foveis se extendit, eo compressior, & ob copiam particularum subtilium per atmospheram sparsarum, densior est: hinc bulla necessario elevatur & gravitatem amittit.

§. V. Cum *Baroscopii Cylindrici Phæn. VIII.* de quo in §. II. c. II. egimus commune habet, quod nempe tempestatis quoque index sit. Causa ex §. subsequenti 12. illius Cap. peti potest. Ordinariè quoque matutino tempore bulla est submissior, quo levitas aëris ab examine indicatur, quam meridiano & vesper: